

## CICÉRON

## Catilinaires

*Première Catilinaire*

VI. Quid est enim, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? In qua nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui non oderit. Quæ nota domesticæ turpitudinis non inusta uitæ tuæ est? Quod priuatarum rerum dedecus non hæret in fama? Quæ lubido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore afuit? Cui tu adulescentulo, quem corruptelarum inlecebris inretisses, non aut ad audaciam ferrum aut ad lubidinem facem prætulisti? [14] Quid uero? Nuper cum morte superioris uxoris nouis nuptiis domum uacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? Quod ego prætermitto et facile patior sileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris inmanitas aut extitisse aut non uindicata esse uideatur. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnis inpendere tibi proxumis Idibus senties; ad illa uenio, quæ non ad priuatam ignominiam uitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem sed ad summam rem publicam atque ad omnium nostrum uitam salutemque pertinent.

*Deuxième Catilinaire*

IV. [7] O fortunatam rem publicam, si quidem hanc sentinam urbis eiecerit! Uno mehercule Catilina exhausto leuata mihi et recreata res publica uidetur. Quid enim mali aut sceleris fingi aut cogitari potest, quod non ille conceperit? Quis tota Italia ueneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subiector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quæ mulier infamis, quis corruptor iuuentutis, quis corruptus, quis perditus inueniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime uixisse fateatur? Quæ cædes per hosce annos sine illo facta est, quod nefarium stuprum non per illum?

[8] Iam uero quæ tanta umquam in ullo [homine] iuuentutis inlecebra fuit, quanta in illo? Qui alios ipse amabat turpissime, aliorum amori flagitiosissime seruiebat, aliis fructum lubricum, aliis mortem parentum non modo impellendo, uerum etiam adiuuando pollicebatur. Nunc uero quam subito non solum ex urbe, uerum etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat! Nemo non modo Romæ, sed [ne] ullo in angulo totius Italiæ oppressus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus ascuerit.

V. [9] Atque ut eius diuersa studia in dissimili ratione perspicere possitis, nemo est in ludo gladiatorio paulo ad facinus audacior, qui se non intimum Catilinæ esse fateatur, nemo in scæna leuior et nequior; qui se non eiusdem prope sodalem fuisse commemorat. Atque idem tamen stuprorum et scelerum exercitatione adsuefactus frigore et fame et siti et uigiliis perferendis fortis ab istis prædicabatur, cum industriæ subsidia atque instrumenta uirtutis in lubricine audaciaque consumeret. [...]

*Quatrième Catilinaire*

I. [1] Video, patres conscripti, in me omnium uestrum ora atque oculos esse conuersos, uideo uos non solum de uestro ac rei publicæ, uerum etiam, si id depulsum sit, de meo periculo esse sollicitos. Est mihi iucunda in malis et grata in dolore uestra erga me uoluntas, sed eam, per deos immortales, deponite atque obliuiscite salutis meæ de uobis ac de uestris liberis cogitate. Mihi si hæc condicio consulatus data est, ut omnis acerbitates, omnis dolores cruciatusque perferrem, feram non solum fortiter, uerum etiam lubenter, dum modo meis laboribus uobis populoque Romano dignitas salusque pariat.

[2] Ego sum ille consul, patres conscripti, cui non forum, in quo omnis æquitas continetur, non campus consularibus auspiciis consecratus, non curia, summum auxilium omnium gentium, non domus, commune perugium, non lectus ad quietem datus, non denique hæc sedes honoris, sella curulis, umquam uacua mortis periculo atque insidiis fuit. Ego multa tacui, multa pertuli, multa concessi, multa meo quodam dolore in uestro timore sanauit. Nunc si hunc exitum consulatus mei di immortales esse uoluerunt, ut uos populumque Romanum ex cæde miserima, coniuges liberosque uestros uirginesque Vestales ex acerbissima uexatione, templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium nostrum ex fœdissima flamma, totam Italiam ex bello et uastitate eriperem, quæcumque mihi uni proponetur fortuna, subeat. Etenim, si P. Lentulus suum nomen inductus a uatibus fatale ad perniciem rei publicæ fore putauit, cur ego non læter meum consulatum ad salutem populi Romani prope fatalem extitisse?

## *Pro Cælio*

[12] At studuit Catilinæ, cum iam aliquot annos esset in foro, Cælius ; et multi hoc idem ex omni ordine atque ex omni ætate fecerunt. Habuit enim ille, sicuti meminisse uos arbitror, permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata linea menta uirtutum. Vtebatur hominibus improbis multis; et quidem optimis se uiris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebræ libidinum multæ; erant etiam industriæ quidam stimuli ac laboris. Flagrabant uitia libidinis apud illum; uigebant etiam studia rei militaris. Neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrarius diuersisque et inter se pugnantibus naturæ studiis cupiditatibusque conflatum.

[13] Quis clarioribus uiris quodam tempore iucundior, quis turpioribus coniunctior ? Quis ciuis meliorum partium aliquando, quis tætrior hostis huic ciuitati ? Quis in uoluptatibus inquinatior, quis in laboribus patientior ? Quis in rapacitate auarior, quis in largitione effusior ? Illa uero, iudices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare, quod habebat, seruire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia, uersare suam naturam et regere ad tempus atque huc et illuc torquere ac flectere, cum tristibus seuerè, cum remissis iucunde, cum senibus grauitè, cum iuuentute comiter, cum facinerosis audaciter, cum libidinosi luxuriose uiuere.

[14] Hac ille tam uaria multiplicique natura cum omnes omnibus ex terris homines improbos audacesque collegerat, tum etiam multos fortes uiros et bonos specie quadam uirtutis assimilata tenebat. Neque umquam ex illo delendi huius imperii tam consceleratus impetus exstitisset, nisi tot uitiorum tanta immanitas quibusdam facultatis et patientiæ radicibus niteretur. Quare ista condicio, iudices, respuatur, nec Catilinæ familiaritatis crimen hæreat; est enim commune cum multis et cum quibusdam etiam bonis. Me ipsum, me, inquam, quondam pæne ille decepit, cum et ciuis mihi bonus et optimi cuiusque cupidus et firmus amicus ac fidelis uideretur; cuius ego facinora oculis prius quam opinione, manibus ante quam suspicione deprehendi.

**Pro Milone**

IX. [...] 24. P. Clodius cum statuisset omni scelere in prætura uexare rem publicam, uideretque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos mensis præturam gerere posset, qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, sed et L. Paulum conlegam effugere uellet, singulari uirtute ciuem, et annum integrum ad dilacerandam rem publicam quæreret, subito reliquit annum suum, seseque in annum proximum transtulit, non, ut fit, religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad præturam gerendam, hoc est ad euertendam rem publicam, plenum annum atque integrum. 25. Occurrebat ei mancam ac debilem præturam futuram suam consule Milone: eum porro summo consensu populi Romani consulem fieri uidebat. Contulit se ad eius competitors, sed ita, totam ut petitionem ipse solus etiam inuitis illis gubernaret, tota ut comitia suis, ut dictitabat, umeris sustineret. Conuocabat tribus, se interponebat, Collinam nouam dilectu perditissimorum ciuium conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies conualescebat. Vbi uidit homo ad omne facinus paratissimus fortissimum uirum, inimicissimum suum, certissimum consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis populi Romani sæpe esse declaratum, palam agere cœpit, et aperte dicere occidendum Milonem. 26. Seruos agrestis et barbaros, quibus siluas publicas depopulatus erat Etruriamque uexarat, ex Apennino deduxerat, quos uidebatis. Res erat minime obscura. Etenim palam dictitabat consulatum Miloni eripi non posse, uitam posse. Significauit hoc sæpe in senatu, dixit in contione. Quin etiam M. Fauonio, fortissimo uiro, quærenti ex eo qua spe fureret Milone uiuo, respondit triduo illum aut summum quadriduo esse periturum: quam uocem eius ad hunc M. Catonem statim Fauonius detulit.

X. 27. Interim cum sciret Clodius - neque enim erat difficile scire - iter sollempne, legitimum, necessarium ante diem XIII. Kalendas Februarias Miloni esse Lanuuium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuui Milo, Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum, quod re intellectum est, Miloni insidias conlocaret. Atque ita profectus est, ut contionem turbulentam, in qua eius furor desideratus est, quæ illo ipso die habita est, relinqueret, quam nisi obire facinoris locum tempusque uoluisset, numquam reliquisset. 28. Milo autem cum in senatu fuisset eo die, quoad senatus est dimissus, domum uenit; calceos et uestimenta mutauit; paulisper, dum se uxor (ut fit) comparat, commoratus est; dein profectus id temporis cum iam Clodius, si quidem eo die Romani uenturus erat, redire potuisset. Obuiam fit ei Clodius, expeditus, in equo, nulla ræda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut solebat; sine uxore, quod numquam fere, cum hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore ueheretur in ræda, pænulatus, magno et impedito et muliebri ac delicato ancillarum puerorumque comitatu. 29. Fit obuiam Clodio ante fundum eius hora fere undecima, aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum: aduersi rædarium occidunt. Cum autem hic de ræda reiecta pænula desiluisset, seque acri animo defenderet, illi qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rædam, ut a tergo Milonem adorirentur; partim, quod hunc iam interfectum putarent, cædere incipiunt eius seruos, qui post erant: ex quibus qui animo fideli in dominum et præsentem fuerunt, partim occisi sunt, partim, cum ad rædam pugnari uiderent, domino succurrere prohiberentur, Milonem occisum et ex ipso Clodio audirent et re uera putarent, fecerunt id serui Milonis - dicam enim aperte, non deriuandi criminis causa, sed ut factum est - nec imperante nec sciente nec præsentem domino, quod suos quisque seruos in tali re facere uoluisset.

XI. 30. Hæc, sic ut exposui, ita gesta sunt, iudices. Insidiator superatus est, ui uicta uis, uel potius oppressa uirtute audacia est. Nihil dico quid res publica consecuta sit, nihil quid uos, nihil quid omnes boni: nihil sane id prosit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem seruare potuerit, quin una rem publicam uosque seruaret. Si id iure fieri non potuit, nihil habeo quod defendam. Sin hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris etiam beluis natura ipsa præscripsit, ut omnem semper uim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a uita sua propulsarent, non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis aut uestris sententiis esse pereundum. 31. Quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non semel ab illo neque turn primum petitem, quam iugulari a uobis, quia se non iugulandum illi tradidisset. Sin hoc nemo uestrum ita sentit, non illud iam in iudicium uenit, occisusne sit (quod fatemur), sed iure an iniuria, quod multis in causis sæpe quæsitum est. Insidias factas esse constat, et id est quod senatus contra rem publicam factum iudicauit: ab utro factæ sint incertum est. De hoc igitur latum est ut quæreretur. Ita et senatus rem non hominem notauit, et Pompeius de iure non de facto quæstionem tulit.

XII. Num quid igitur aliud in iudicium uenit, nisi uter utri insidias fecerit? Profecto nihil: si hic illi, ut ne sit impune; si ille huic, tum nos scelere soluamur.

32. Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est in illa quidem tam audaci, tam nefaria belua, docere magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum "cui bono fuerit" in his personis ualeat; etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi sæpe paruo. Atqui Milone interfecto Clodius hæc adsequabatur, non modo ut prætor esset non eo consule quo sceleris nihil facere posset; sed etiam ut eis consulibus prætor esset, quibus si non adiuuantibus at coniuuentibus certe, speraret posse se eludere in illis suis cogitatis furoribus: cuius illi conatus,

ut ipse ratiocinabatur, nec cuperent reprimere si possent, cum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur; et, si uellent, fortasse uix possent frangere hominis sceleratissimi conroboratam iam uetustate audaciam.

33. An uero, iudices, uos soli ignoratis ? uos hospites in hac urbe uersamini ? uestræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato ciuitatis sermone uersantur, quas ille leges, si leges nominandæ sunt ac non faces urbis, pestes rei publicæ, fuerit impositurus nobis omnibus atque inustus ? Exhibe, quæso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum uestrarum, quod te aiunt eripuisse e domo et ex mediis armis turbaque nocturna tamquam Palladium sustulisse, ut præclarum uidelicet munus atque instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses. [...] Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat cum omnibus omnia minabatur. Mouet me quippe lumen curiæ!

XIII. Quid ? tu me tibi iratum, Sexte, putas, cuius inimicissimum multo crudelius etiam poenitus es, quam erat humanitatis meæ postulare ? Tu P. Clodi cruentum cadauer eiecisti domo; tu in publicum abiecisti ; tu spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustilatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Qua re, etsi nefarie fecisti, tamen quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo.

34. Audistis, iudices, quantum Clodi interfuerit occidi Milonem: conuertite animos nunc uicissim ad Milonem. Quid Milonis intererat interfici Clodium ? Quid erat cur Milo non dicam admitteret, sed optaret ? "Obstabat in spe consulatus Miloni Clodius." At eo repugnante fiebat, immo uero eo fiebat magis ; nec me suffragatore meliore utebatur quam Clodio. Ualebatur apud uos, iudices, Milonis erga me remque publicam meritorum memoria; ualebant preces et lacrimæ nostræ, quibus ego tum uos mirifice moueri sentiebam; sed plus multo ualebatur periculis impendentium timor. Quis enim erat ciuium qui sibi solutam P. Clodi præturam sine maximo rerum nouarum metu proponeret ? Solutam autem fore uidebatis, nisi esset is consul, qui eam auderet possetque constringere. Eum Milonem unum esse cum sentiret uniuersus populus Romanus, quis dubitaret suffragio suo se metu, periculo rem publicam liberare ? At nunc, Clodio remoto, usitatis iam rebus enitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam : singularis illa et huic uni concessa gloria, quæ cotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, iam Clodi morte cecidit. Vos adepti estis, ne quem ciuem metueretis : hic exercitationem uirtutis, suffragationem consulatus, fontem perennem gloriæ suæ perdidit. Itaque Milonis consulatus, qui uiuo Clodio labefactari non poterat, mortuo denique temptari coeptus est. Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam Clodi mors Miloni.

35. "At ualuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriæ, poenitor doloris sui." Quid ? si hæc non dico maiora fuerunt in Clodio quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc ? quid uultis amplius ? Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiem suæ gloriæ, præter hoc ciuile odium, quo omnis improbos odimus? Ille erat ut odisset, primum defensorem salutis meæ, deinde uexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremo etiam accusatorem suum : reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad uixit. Quo tandem animo hoc tyrannum illum tulisse creditis ? Quantum odium illius, et in homine iniusto quam etiam iustum fuisse ?